

I. *KALBFUSSIA*, *mihl.*

*Anthodium polyphyllum subimbricatum*; *squamae* omnes adpressae: *internae* aequales nr. 13, *externae* minores fere totidem.

*Receptaculum* convexiusculum, favosum; *favi* singuli membranula brevi, scarioso-ciliata circumvallati et in eorum centro *stipitem* perbreve habentes cui insidebat achenium.

*Achenia* difformia, brunnea, 63 — 74 circiter uno in capitulo:

a) *Achenia radii*. (7 — 9 et plura) in convexitate squamarum anthodii internarum posita, serius quam achenia disci decidua et iis duplo-triplo breviora, pappo destituta, teretiuscula, a dorso compressiuscula, subincurva, convexitate extus spectante, 5 sulcis longitudinalibus sat distinctis notata, quorum unus medium convexitatis, alii vero latera obtinent, quibus interpositae sunt 5 elevationes modicae, tuberculis minutis numerosis obsitae, in 10 — 15 series transversales posita, quo fit ut achenium valde transversaliter rugosum evadat, et in hoc respectu faciem acheniorum *Picridis Sprengerianae* prae se ferat.

b) *Achenia disci* pappo sunt coronata achenii longitudinem fere attingente, gracilia, teretia, a dorso compressiuscula, substipitata aut manifeste stipitata, stipite tenuissimo, subglabro, 5 sulcis longitudinalibus uti achenia radii, sed non tam profunde notata, inter quos sunt elevationes 5 modicae, inferne glabriusculae, ceterum tuberculis in

series transversales positae, innumeris, sed in acheniorum radii multo minoribus obviae.

*Pappus* sessilis, tenacissime persistens, sordide albescens, constans radiis nr. 10, simplici serie dispositis, nec setis simplicibus intermixtis;

*Radii* parce plumosi: plumulis vero longis, tenuissimis, facile caducis, basi in scarositatem latam, dorso linea flavicante designatam, utrinque expansi.

*Observ.* Plumulae in hoc genere in planta adhuc florente sunt examinandae, nam in deflorata non raro paucissimas tantum invenies, imo radios plumulis penitus destitutos et tunc pro simplicibus habendos.

(Herbae annuae (aut biennes?), glabrae, graciles, ramosae, foliis omnibus radicalibus, pedunculis squamatis, crateris mediterranei regionem incolentes.)

*Spec* 1. *Kalbfussia Salzmanni* mihi.

*Acheniis* radii iis disci triplo brevioribus, apicem versus latioribus, apice truncatis, disci substipitatis.

Folia obverse lanceolata, sinuato-dentata, aut pinnatifida, dentibus pinnisve plurimis, acutis. Anthodii squamae glaberrimae.

⊙. ((2)?) *Patria*: in vineis tingitanis (Folz et Marocco) vere anni 1824 legit speciem nostram cl. Salzmann et sub nomine *Apargiae vernae* communicavit (v. s. in herbario inclytae Academiae Monacensis).